

Pœnitentia eius, qui propriam absque causa perimit uxorem.

Quicumque propriam uxorem absque lege, vel sine causa & certa probatione interfecerit, aliamque duxerit uxorem; armis depositis, publicam agat poenitentiam; & si contumax fuerit, & Episcopo suo inobediens extiterit; anathematizetur, quousque consentiat. Eadem Lex erit illi, qui Seniores suum interfecerit.

VIII. Item STEPHANUS Papa V. Hæstulpho. [Imò Paulinus Forojulienis Episcopus ad Hæstulphum, an. 794. in Germania.]

Pœnitentia Hæstulphi, qui uxorem suam interfecit.

Admonere te cum lacrymis, & multo gemitu cordis curamus, fili Hæstulpho: sed non filius debes dici, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui legitimo matrimonio tibi sociatam, sine causa mortis, non tibi resistente, non infidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem: sed concitatus à Diabolo, impio furore inflammatus, latronum more atrocius eam gladio tuo, crudelior omni bestia, interemisti; & nunc post mortem ejus addis iniquitatem super iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo. Qui matri non peperisti, & filios tuos orphanos fecisti, inducere super eam vis mortis causam post mortem: per unum homicidium, & reprobum testem inculcare vis mortuam. Quoniam nec Evangelium, nec ulla divina humanaque Lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel iustificat; quanto magis per istum flagitiosissimum, & scelestum nec illa viva debuit condemnari, nec à te post ejus mortem accusari? Prius causa criminis subtiliter erat investiganda: & tunc, si ita fuisset inventa, secundum Legis tramitem debuit accipere ultionis vindictam. Nam si verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est; post septem annos poenitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteris, si voluisses: occidere tamen eam nullatenus debuisti. Non enim vult Deus mortem peccatoris; sed ut convertatur ad poenitentiam, & vivat. Idcirco placeat tibi consilium nostrum; & hoc fac, quod melius tibi, leviusque videri potest: miserere animæ tuæ, ut non sis tu tibi ipse homicida. Relinque quapropter, te rogamus, hoc malum & seculum; quod te traxit ad tam inmanissimum peccati facinus: ingredere Monasterium, humiliare sub manu Abbatis, & multorum Fratrum precibus adjutus, observa cuncta simpliciter animo, quæ tibi fuerint imperata: si forte ignoscatur iniquitas Dei bonitas peccatis tuis, & refrigeret animam tuam, priusquam cruciatur perpetuis flammis. Hoc levius, & melius tibi esse certissime scias. Sin autem publicam poenitentiam, permanens in domo tua, vel in hoc mundo, vis agere (quod pejus tibi & durius, & gravius esse non dubites,) ita, ut agere debes, exhortamur, omnibus diebus quibus poenitere debes, vinum & fœceram non bibas; carnem nullo umquam tempore comedas, præterquam in Pascha, & in die Natalis Domini: in pane, & aqua, & sale poenitentiam age: in jejuniis, & vigiliis, & orationibus, & elemosinis omni tempore persevera: armis nunquam cingere, nec in quolibet loco litigare præsumas. Uxorem nunquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere audeas: in balneo nunquam laveris, in convivium letaniam nunquam te mifceas; in Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium, & postes humiliter te repone, ingredientium, & egredientium suppliciter orationibus commenda te, communione Corporis & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes: in ultimo tamen exitu vitæ tuæ die, si merueris, pro Viatico, si sit, qui tribuat, tantummodo venialiter ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa, quæ tibi nimis ducius, & satis acris erant iuxta magnum pondus peccati, infelix, adjicienda. Sed si hæc omnia, quæ tibi misericorditer supra dicta sunt, perfecto corde, Domino auxiliante, feceris, & custodieris; confidimus de immensa Dei clementia remissionem habiturum te tuorum peccatorum, & secundum dictum justis, bonique pastoris resolvere te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in Terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine acquisivit, solutus sis in Cælis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris Ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris; ipse tibi sis iudex, & in laqueo Diaboli, quo irretitus teneris, permanebis, & sanguis tuus super caput tuum: nos alieni à consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur deludare, & Domini misericordiam attentius quotidie implorare.

Corr. Rom. a Nec à te. Apud Burchardum & Ivonem legitur, nec tu poteris post mortem ejus excusari.

Pit. Admonere. Ex Epistola Paulini Forojulienis Episcopi ad Hæstulphum. Burch. lib. 6. c. 40. in Penit. Rom.

Et feceram. Et omnem feceram. c. 56. & 58. Tribus Concilii.

IX. Item AUGUSTINUS de Adulterinis Conjugiis, lib. 2. c. 15. [c. an. 419. in Africa.]

Potius uxore vivente aliam ducat quis, quam humanum sanguinem fundat.

SI (quod verius dicitur) non licet homini Christiano adulteram conjugem occidere, sed tantum dimittere; qui est tam demens, qui dicat ei, fac quod non licet, ut liceat tibi, quod non licet? Cum enim utrumque secundum Legem Christi illicitum sit, five adulteram occidere, five illa vivente alteram ducere; ab utroque abstinendum est, non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus est, quod non licet; jam faciat adulterium, & non faciat homicidium; ut vivente uxore sua, alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat. Quod si est utrumque nefarium; non debet alterum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare.

In præmissis autoritatibus quique prohibentur adulteras conjuges suas occidere: sed permittitur tunc septem annorum poenitentiam eis illas dimittere. Si autem illas interfecerint, jubentur sine spe conjugii perpetuo manere: nisi forte propter lapsum juvenilis incontinentiæ ad matrimonium contrahenda eis misericordia impendatur. Clericis autem conceditur, si uxores eorum peccaverint, sine mortis acerbitate habere eas in custodia, & ad jejunia eas cogere: non tamen usque ad necem attingere. Unde legitur

X. IN TOLETANO CONCILIO l. c. 7. [an. 400. in Hispania.]

Clerici, si uxores eorum peccaverint, præter necem eas domi custodiant, & ad salutaria eas cogant jejunia.

Placuit, ut si quorumcumque Clericorum uxores peccaverint, ne forte licentiam peccandi plus habeant; accipiant mariti earum hanc potestatem, præter necem custodiendi ac ligandi in domo sua, ad jejunia salutaria, non mortifera eas cogentes: ita, ut invicem illi Clerici pauperes auxilium ferant, si servitia forte non habeant. Cum uxoribus autem ipsis, quæ peccaverint, non cibum fumant, nisi forte ad timorem Dei acta poenitentia revertantur.

XI. ISIDORUS ad Massonem d Episcopum in præfatione ad librum de Summo Bono. [an. 605. in Hispania.]

Quare sit institutum post septem annos in pristinum statum Poenitentes redire.

Hoc ipsum, quod Canonum censura post septem annos remeare Poenitentem in pristinum statum præcipit, &c. ut in tractatu Ordinandorum de Lapsis, non hoc electione proprii arbitrii, sancti Patres, sed potius ex sententia Divini iudicii lanxerunt. Nam legitur, quod Maria soror Aaron Prophetissa, dum detractiois adversus Moysen incurrisset delictum, illico stigmatum lepræ perflua est: cumque peteret Moyses, ut emundaretur, præcepit eam Deus extra castra septem diebus egredi, & post emundatam in castra admitti. Maria ergo soror Aaron, carco intelligitur Sacerdotis, quæ dum superbia dedita, didicissimis cogitationum maculatur contagis; extra castra septem diebus, hoc est, extra collegium sanctæ Ecclesiæ septem annis proficitur, ut post emendationem vitiorum, loci, vel pristina dignitatis recipiat meritum. In fine autem Epistolæ hoc adiciendum putavi, ut quotiescumque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur; illius sententia magis teneatur, cuius antiquior, aut potior extat autoritas.

Corr. Rom. a Ut in tractatu ordinandorum de Lapsis. Absunt hæc à plerisque vetustis, sed non sunt expuncta, quia sic solet citare Gratianus, & indicatur c. Prebyter. sup. dist. 82. In fine autem. Hæc autem ad finem absunt ab uno antiquo Gratiani exemplari.

Hoc autem quamquam de Sacerdotibus videatur specialiter dictum, generaliter tamen de omnibus Poenitentibus oportet intelligi. Ad imitationem namque illius Domini sententia, David de adulterio & homicidio reprobentis annis hebdomadæ jejuniis in satisfactionem admisit sceleris Deo legitur obtulisse. Hinc etiam Ecclesiastica consuetudine est usurpatum, ut majorum criminum poenitentia septem annorum spatio concludatur; nisi vel officii excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens (veluti, dum contra naturam humanæ civitatis parentibus, vel liberis, vel aliis ejusmodi personis impudicè adheremus; vel dum relicto naturali usu continentiam more Sodomitico fornicamur, vel usque ad coitum brutorum animalium probabimus,) præmissum spatium transgredere cogat. Poenitentibus quoque quæritur, an eis generaliter post poenitentiam peractam conjugia concedantur. Generaliter enim Canonica autoritate prohibentur Poenitentes ad seculari militiam redire, vel matrimonia contrahere. Unde

XII. STRICTUS Papa, Epist. 1. ad Himerium Episcopum, c. 5. [an. 385. Romæ in Hispaniam.]

Pœnitentes matrimonia contrahere prohibentur.

DE his verò non incongruè dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam; qui acta poenitentia, tamquam canes, ac fues ad vomitus pristinos, & volutabra redeantes & militie cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhihibis denuò appetere concubitus; quorum profellam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus quia jam suffugium non habent poenitendi; id duximus decernendum, ut solà citra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacris mysteriorum celebratiombus (quamvis non merentur) interint, à Dominice autem mensæ convivio segregentur: ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obfœcenis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate occiderunt) viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, pro communionis gratiam volumus subveniri: quæ formam & circa mulieres, quæ se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censuimus. Pit. De his verò. Vide Socr. lib. 5. cap. 2. Calliodor. lib. 11. Epist. 1. Centur. tom. 4. p. 478. Citra. 3. V. C. intra. Sacris &c. V. C. sacre mysteriorum celebrati. Quibus. V. C. quibus. Subveniri. V. C. sublevari.

XIII. LEO Papa 8 Galerio Episcopo Tripolitano. [fortè c. an. 850. Romæ.]

Ex indulgentia conjugia post poenitentiam legitimam non negantur.

Adulvimus à quibusdam, quòd in vestris diocesis, ac finibus Christianorum cœtus levi occasione se subtrahunt poenitentia jugo, dicentes; quia poenitentiam agimus, conjugii debemus relinquere copulam: in quo errant, & de veritate calle discedunt: quia pro omnibus illicitis poenitentiam unumquodque Christi nominis cultor sustinere, ac peragere summo opere debet, dicente Domino: Poenitentiam verò legitimam nulli Orthodoxorum poenitentiam sustinenti solvere licet, & infra. Sacris eos vos expedit eloquiis docere, ut ab erroris eripiantur caligine, & licitis copulationibus juncti, de omnibus illicitis poenitentiam agere procurent.

XIV. Item LEO Papa ad Rusticum, Epist. 90. al. 92. c. 11. [an. 443. Romæ in Galliam.]

Propter lapsum juvenilis incontinentiam non negentur Poenitentibus licita conjugia.

IN adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis, aut captivitate periculo poenitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, nec crimen fornicationis incurreret; rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem, nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constitutum, sed quod sit tolerabilis estimamus.

XV. Item NICOLAUS Papa Rhatoldo Episcopo sanctæ Ecclesiæ Argentinensis. [c. an. 862. Romæ in Germaniam.]

Hæc poenitentia est imponenda ei, qui matrem occiderit.

Latorem presentium matricidam esse cognovimus. Cui præcipimus, ut sub poenitentia jugo permaneat: ita ut per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores Basilicæ orans, & deprecans Deum perseveret, qualiter tunc eripiarit periculo. Completo verò anni circulo introeundi in Ecclesiam licentiam habet: tamen inter Audientes stet, sed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculum sacre communionis ei gratia concedatur: oblationes verò non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis, atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis Festis diebus, atque Dominicis, & à Pascha usque ad Pentecostem. Et quocumque ire voluerit; nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiatur; arma non sumat, nisi contra Paganos; jejumet autem tribus diebus per hebdomadam usque ad vesperam. A propria quidem, ac legitima conjugie non separatur, ne in fornicationis voraginem corruat; quod ne fiat, optamus. Si autem ante annum trium cursum finis vite illius appropinquerit; corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fiat: in autem; ut supra statimus, efficiatur; tamen, si illius conversionem & lacrymarum fontem in omnibus videritis

Corr. Rom. a Unus eorum. In antiquis Concilio editionibus est, eorum, unde: in uno Vaticano codice, alter eorumdem: in codice Luceni Regio, ad continentiam eorum fuerit: in posteribus autem Coloniensibus editionibus, alter ad continentiam eat, unde fuerit regressus. Itaque in tanta varietate recta est vulgata lectio Gratiani, quæ est in manuscriptis quoque ipsius exemplaribus. Pit. Leonis. Epist. 91. c. 14. Poenitentia. V. C. continentiam. B d d ij

floridis actionibus, & optimis operibus pullulare; humanis circa eum vestra sollicitudo pervigil appareat, mitilque omnibus demontretur.

Corr. Rom. Poenitentia patricidarum, quæ hic præcipitur, habetur in Conc. Vormaciensi, c. 30. Pit. Latorem. Integra relata est à Beato Rhenano in admonit. de Tertull. dogmat. p. 908. Prius. V. C. postquam. Ne fiat. V. C. malum nec. Efficiatur. V. C. cuncta efficiantur.

XVI. Item. [c. an. 865. Romæ in Ger. a. Idem. maniam.]

Post dignam poenitentiam adolescentibus permittuntur licita conjugia.

SI quis cum duabus fuerit fororibus fornicatus, aut cum his personis, de quibus sancta Scriptura prohibet; si indignam egerit poenitentiam, & calitatis non valuerit continentiam sustinere; liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere: similiter & mulieri, quæ tali fuerit scelere lapsa; ut fornicationis non perducatur ad chaos: sed hoc de Laicis viris, ac mulieribus solummodo statuumus. Corr. Rom. Ivo citat hoc, quemadmodum & sequens, ex Nicolao ad Carolum Archiepiscopum, & ejus suffraganeos. Idem verò habetur in Conc. Vormaciensi, c. 33. nisi, quòd pro illis verbis, lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos, in eo legitur, lapsa fornicationis, liceat.

XVII. Item. [c. an. 865. Romæ in Germaniam.]

Pœnitens, qui hæc crimina committit, non tamen legitimam dimittat uxorem.

SI quis cum matre fornicatus fuerit spiritali, anathematis, ut scitis, percussus ictibus. Similiter autem illum percussus promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte Baptismatis suscepit, aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro Chrismate fuerit unctus, fornicationis perpetraverit scelus: legitimam tamen, si habuit, non dimittat uxorem. Quos enim Deus conjunxit, iudex sua autoritate separare non debet. Corr. Rom. a Cum matre. Sic in Pannormia, & apud Ivonem p. 9. c. 36. sed apud eundem p. 1. c. 138. legitur, si quis cum comatre, sicut etiam in Concilio Vormaciensi. Quos enim. Hæc non sunt in Vormaciensi, neque apud Ivonem, sed ferè eadem in Pannormia.

QUAMQUAM hoc aliter intelligat, dicens

XVIII. ISIDORUS. [fortè c. an. 620. in Hispania.]

Non homo separat, quos pœna condemnat. Quos Deus conjunxit, homo non separat. Queris quomodo subaudi violenter, sine lege, absque ratione, quos Deus conjunxit, homo non separat. Non enim homo separat, quos pœna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat.

VERUM hoc pro his dictum intelligitur, quos Judices feculi pro suis sceleribus, Legum severitate percussit, quos vel morte puniunt, vel deportati jubent.

XIX. Item EX CONCILIO TOLETANO VI. c. 8. [an. 618. ibid.]

De eodem.

ANTIQUI & sanctissimi est patris sententia Papæ Leonis, ut is, qui in ætate adolescentia positus, dum mortis formidat calum, pervenerit ad poenitentia remedium: si conjugatus forte fuerit incontinentis, ne postea adulterii lapsum incurrat, redeat ad pristinum conjugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentia statum: quod nos sicut de viris, ita de feminis equo modo censuimus. Non quidem hoc generaliter, & canonicè est præceptum: sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum. Ea dumtaxat ratione, ut si is, qui poenitentia non est Legibus deditus, ante ab hac vita decesserit, quam ex consensu ad continentiam unus eorum fuerit regressus, superstiti non liceat denuò ad uxoris transire amplexus. Si autem illius vita exiterit superites, qui non accepit absolutionem poenitentis; nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur uxoris. Quod de utroque sexu quomodo à nobis manifestum est esse decretum: ita videlicet, ut in omnibus Sacerdotis expectetur ordinatio: ut iuxta quod ætatem aptam perpexerit, poenitentia absolutionis, vel distinctionis tribuat legem.

Corr. Rom. a Unus eorum. In antiquis Concilio editionibus est, eorum, unde: in uno Vaticano codice, alter eorumdem: in codice Luceni Regio, ad continentiam eorum fuerit: in posteribus autem Coloniensibus editionibus, alter ad continentiam eat, unde fuerit regressus. Itaque in tanta varietate recta est vulgata lectio Gratiani, quæ est in manuscriptis quoque ipsius exemplaribus. Pit. Leonis. Epist. 91. c. 14. Poenitentia. V. C. continentiam. B d d ij